

& re ipsa, & animo clericū percūt. Ita Carolus Molinæus, quē refert ipsum sequēs Couar. c. alma mater. 1. p. §. 10. n. 15. verf. 8. Cordub. in questio. lib. 2. q. 26. §. 2. probatur eadē pars, fol. 124. Bartho. à Ledef. de poenitētia, dub. 177. de excommunicatione. §. sed dubiū oritur, fol. 1061. Vega. 1. tomo sum. c. 85. casu. 107. Sed in cōtrarium fortiter vrgēt. Quoniam projiciens lapidē quō Titū clericū cecidit, si casu, ac inculpabiliter percūtat aliū clericū illac tunc transeunt, nec excommunicationē, nec irregularitatem morte inde sequuta incurret. Et tamē videtur similis omnino casus. Sed dic admittendū esse hoc, disparitatēq; in eo consistere. Quōd in priori casu, & affectus, & opus ipsum externū, sunt penitētis, & iniusta. Siquidē affectus fuit clericū percūtendi: & adfuit voluntas illū clericum putandū esse aliū similiter clericum cecidendi, sequutūq; est opus. In posteriori autē, solus affectus malus fuit, qui nō inducit irregularitatem, excommunicationem. Opus enim externum illius cæssionis fuit omnino præter voluntatem, ac subinde culpa vacans.

Ex dicitur sit, falsō existimantē, eū quē cecidit, clericū esse, eximi ab excommunicatione. Quia reuera clericū non percūt, sed laicū. Sicut nec irregularis esset, si ferā necaret, credens hostiē esse. Quoniam prauus ille affectus opere externo non subiequato, minimē his penis placitur. Ita docēt gl. c. in audietia, verb. iniuriarū, de sententia excom. Abb. c. si verō, el. 2. de sententia excom. m. n. 7. vbi Anchar. n. 4. Federic. conf. 13. Alden. 2. p. sum. lib. 7. tit. 3. art. 2. q. 30. & 32. D. Anton. 3. part. tit. 24. c. 1. §. 2. Ang. excom. §. casu. t. n. 25. Syl. excom. 6. §. 6. notabili. 4. verf. 2. Couar. c. alma mater. 1. p. §. 10. n. 15. verf. 12. Ludouic. Lop. 2. p. instr. de excom. c. 13. fol. 386. §. sequitur. 6. Graf. 1. p. decis. lib. 4. c. 9. n. 43. Barthol. à Ledef. n. præcedenti allegatus. Manuel. 1. tomo sum. 2. editio. c. 80. n. 11. c. 61. 11. Vega. 1. tomo sum. c. 85. casu. 107. Atq; immerito Couar. tribuit glossā eo. c. si verō, verb. ignorauerint, & Hostiensibus, super, verb. esse clericū, eos sentire hunc esse excommunicatum, donec noit clericum non esse. Quasi statuāt excommunicationē quandā temporale, quæ adueniētī sciētia tempore absolute non indigeat. Quod absurdissimū est, nec predictū id docēt: solū enim volūt ob conscientia erroneā debere illū se reputare excommunicatum,

donec de veritate facti certior factus sit. Quod verissimū esse, nemo dubitat.

SVMMARIVM.

A Non omnis ignorantia iuris, vel facti qua excusatur a mortali, non tamen a veniali culpa, excuset ab excommunicatione, irregularitate, & suspensione. *Resertur opinio. n. 30.*
An facti quis ignorantia vincibilis ad has penas incurrendas? Resertur opinio. n. 30.
Non satis est, nisi sit crassa, vel supina. n. 31.
Ignorantia crassa dicitur que procedit ex lata culpa. n. 32.
Qualis sit lata culpa, que ignorantiam crassam constituit. n. 33.
An facti sit leuis culpa, vel desideretur lata, ad irregularitatem homicidij. n. 34.
Quando scienter facienti imponitur poena, qualis ignorantia excuset? Resertur quadam opinio. n. 35.
Excusatur tunc ignorantia crassa, nisi ad sit dolus, & vbi dolus requiritur, nō satis est culpa lata. n. 36.
Idem dicendum est, si canon dicat, si quis ausus fuerit, vel ausu temerario fecerit. n. 37.
Idem, si dicat, si quis presumpsit. n. 38.
Non excusatur ignorantia adeo crassa, vt sit ingens temeritas. n. 39.
Nec ignorantia affectata. n. 40.
An desideretur dolus, vel facti sit lata culpa ad incurrendam excommunicationem, c. si quis suadente. 17. q. 4. in clericorū percussores? explicaturq; is textus. n. 41.
Quid, si percussor, clericatū ignorans, videat vestes clericales, aut consuta. n. 41. & 42.
Posit. num. 42. inuenies summaria qua desiderantur.

Questio sexta. Qualis debeat esse ignorantia iuris, vel facti, vt ab excommunicatione, suspensione, interdicto, irregularitate, aliisque penis excuset? Prima conclusio. Quoties ignorantia iuris, vel facti est talis, vt canonis transgressionē dē culpa mortali excuset, excusabit ab excommunicatione, & alijs penis ob delictū impositis: vt irregularitate ob delictū, suspensione, interdicto. Hæc conclusio de excommunicatione est certa. Costat enim inter omnes absque lethali culpa incurri nō posse. De reliquis autem censuris non est adeo certa. Nam irregularitatem delicti contrahi ob solam culpam venialem, docent Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. colum. 3. verf. & confirmatur: & in summa, verb. irregularitas, verf. scito

tamen

tamen, & verb. interdictū, initio. Castro lib. 1. de lege penali. c. 5. document. 4. fin. Cordub. in suo questio. lib. 2. q. 26. verf. neq; mirandū. Aragon. 2. 2. q. 64. ar. 8. fol. 394. col. 2. verf. dico. 4. Manuel. 1. tomo sum. 2. editio. c. 175. n. 5. Et suspensionē posse similiter abq; culpa mortali incurri, tradit Caiet. sum. verb. interdictū, initio, & verb. suspensio, initio: vbi Armi. n. 1. Ludo. Lopez. 2. p. instr. c. 31. de suspensio. initio. Atq; idē de interdicto docēt. Caiet. sum. verb. interdictū, initio. Ludouic. Lop. 2. p. instr. c. 31. de interdicto. §. quarto quōd excommunicatio, fol. 948. Idq; probat Caiet. Quia hæc censura leuiore sunt, quā excommunicatio minor, cū minimē priuent sacramentorum receptionem, sicut illa priuat, & tamē incurritur ob culpā venialem. At tenēda est cōclusio proposita. Quoniam sunt omnes cæ poenæ, grauisimæ, & ita minimē credendū est piā matre Ecclesiā velle ijs placere ob culpā leuē, qualis est venialis. Atq; argumento Caietani satisfaciunt optime Nauar. sum. latina nouiori c. 27. n. 253. excommunicationem minorē afferens esse secundū quid grauiorem censurā simpliciter minus graue. Quia est medicinalis, & facile tollitur: ceteræ autē non nisi per Pontificis dispensationē, priuantq; omni ordinis ministerio. Atq; ideo hæc sententiā loquentes de irregularitate, sustinet Soc. lib. 5. de iust. q. 1. art. 9. verf. id autem. Nauar. super. c. fin. 14. q. 6. n. 21. & sum. latina nouiori. c. 17. n. 241. verf. 8. Nauar. lib. 2. de restit. c. in noua editione. dubio. 6. n. 61. verf. colligo. 2. Enriq. lib. 13. de excom. c. 24. nu. 1. in cōmento, liter. C. & lib. 14. de irregul. c. 3. n. 1. Manuel. 2. tomo sum. 2. editio. c. 67. n. 1. fin. Bartholomæus à Ledef. dubio. 5. de excom. c. 61. 1. colum. 954. Bañes. 2. 2. q. 64. ar. 8. tra. de irregularitate. p. 2. dubio. 2. §. dicimus vicinō, fol. 371. Salon. eod. art. 8. immediate ante. 4. controuersia, col. 1242. Ludouic. Lop. 2. p. instr. c. 31. de excommunicatione, ad finē, in solutione ad 3. Emmanuel Sa sum. verb. irregularitas. c. 1. verf. ad irregularitatem ex delicto. Et de omni bus iuris docet idē, Bartholomæus à Ledef. proximē citatus. Et de suspensione iure lata tradunt idē, Enriq. eod. c. 24. n. 1. Et Manuel. 2. tomo sum. c. 67. num. 1. fin. Emmanuel Sa sum. verb. suspensus ab officio, verf. qui certus est. Dixi, de suspensio iure lata. Quia potest iudex ob culpam venialem suspendere, vt cū Nauar. sum. c.

27. latinē, & hispanē. n. 159. docent Enriq. & Manuel ibidem. Quod bene intelligit ibi Nauar. hispanē de leui suspensione, & ad breue tempus, quæ modicum dāmit hororis, & rei familiaris afferat.

Difficultas autem est, nō soli ignorantia inuincibilis, aut tā parū culpabilis, vt solā culpā venialem afferat, excuset à predictis penis, & alijs? Soc. 4. d. 28. q. 1. art. 2. verf. ex his primū: quem sequitur Grafus. 1. p. decis. lib. 4. c. 9. nu. 20. distinguunt in hoc censuras iure communi latas, à censuris episcopalis: vt ab illis nulla vincibilis, seu culpabilis ignorantia iuris, vel facti excuset: ab his autem excuset quous ignorantia vincibilis, modō non sit crassa, & supina. Quia capit. 2. de constit. in. 6. definitur à censuris quorumcunq; ordinariorum excusare ignorantiam, modō non sit crassa, & supina. Atque ita in Pōtificijs id non desideratur, & in vtrisque non excusare vincibilem ignorantiam, non excusantem à mortali, tenet Suarez. 5. tomo in. 3. part. disput. 4. sect. 10. numer. 10. & ea sola ratione ducitur quod omnis ignorantia vincibilis non excusans à mortali sit crassa vel supina.

Secunda tamen conclusio sit. Ignorantia vincibilis, & culpabilis, facti, vel iuris imponentis censuras, licet aliā factum sit damnatum, vel alias penas spirituales, excusat ab illis, modō non sit crassa, & supina: siue statuatur Episcopi, siue Pontificijs constitutionibus. Probatur ex capit. 2. de constitut. in. 6. vbi vniuersaliter dicitur, excusare ab omnibus sententijs quorumcunq; ordinariorum, ignorantiam, quæ non est crassa, nec supina: vbi nomine sententiæ non sola excommunicatione, sed omnes aliæ poenæ saltem spirituales comprehenduntur. vt probauimus met. 17.) & est ibi sermo, etiam quando factum est aliā damnatum (vt probauimus, numer. 9.) & non tantum de sententijs Episcoporum, sed etiam summi Pontificijs, cū nomine ordinarij comprehendatur ipse tāquam ordinarij omnium ordinarij iuxta Syl. verb. ignorantia. q. 8. d. 3. Vel si dicamus nō cōprehendi sententias à summo Pontifice latas, sub nomine illo ordinarij: propter ea quæ diximus. n. 8. ad finem: comprehenduntur propter rationē illius textus, vt periculis animarū obuietur, quæ sumi iter in illis militat. Et quia maior est ratio in Pōtificijs: quippe quæ min⁹ publicantur, atq; facilius, & iustius igno-

ratur. Itē, quia omnes hęc pœnæ spirituales, & irregularitates sunt pœnæ contēptus: (vt probat nu. 17.) at contēptus adesse non dicitur, quando ignorantia nō est crassa. Huius sententiæ videtur Specular. tit. de dispensatione. §. iuxta. num. 4. r. vbi ait irregularitē fieri errantem ignorantia crassa, vel supina. Et tenet Ioan. Andr. c. quantū, in fine, de sentent. excom. vbi ait in cano- nem pœnensionis clerici, vel in aliū, nullū incidere sine dolo. Et Sylu. verb. culpa. q. 11. §. 1. 4. fine, vbi dicit, quando ius vel statu- tum requirit dolum p̄sumptū, vt in cen- suris, ignorantem crasse, vel supinē nō ex- culari, focus si esset in leui ignorantia cul- pa. Et excommunicatio. 2. notabili 3. §. 6. vbi ait constitutionem etiā Pontificiā solū ligare negligentem, & propter pœnā r̄ odium intelligi de negligentia lata. Et verbo ignorantia. q. 8. di. 7. do cet idem, & explicat, licet aliā factum sit damnatum. Et ita intelligit. c. 2. de constit. in 6. de Pō- nificiis constitutionibus, eū tamē ibi pō- sultur ignorantia crassa: & loquitur de omni^b pœnis, etiā de irregularitate: vt constat ex n. dicto. Idem tractantes de ex- cōmunicatio docent Sylu. excōmuni- catio vltimo. q. 3. Angelus excommunicatio 7. casu vltimo. n. 3. Tabiena excommu- nicatio 7. q. 1. n. 2. Pet. de Ledesma de ma- trim. q. 45. ar. 5. punto 1. dubio 3. cōcl. 2. fo. 172. col. 2. mitto. Lud. Lopez. 2. p. antr. c. 13. de excōmun. §. sed iam ad 2. punctū, fo. 887. Enriquez lib. 13. de excōmun. c. 23. n. 2. Idemq; constabit ex textu, & Do- ctoribus allegandis. n. 3. 4. fine, probātibus ad irregularitatem desiderari culpam latā. Quoniam ignorantia crassa est, quæ ex cul- pa lata procedit, vt dicā nu. sequenti. Nec obstat ratio contra. ia. Quia lib. 1. nostræ summæ. c. 16. n. 7. probabimus, ignorantia vincibilem distinguī in eam, quæ est vin- cibilis tantū, & in crassam, & supinam. Quare existimo ignorantiam etiā mortali- ter culpabile, siue iuris, siue facti, modo non sit crassa excusata ab his censuris, & pœnis: & idem dico licet ad scientia le- gis, si adit ignorantia non crassa censura, vt fateatur Suarez. rit. 5. in 3. p. disp. 4. se. 8. io. n. 9. fin. diffrens tantū ā nobis, quod ipse fateatur omnem ignorantiam mortali- ter culpabilem esse crassam: q̄ nos nega- mus: ratio autem huius additi. est, quia (vt diximus nu. 21.) ignorantia p̄cepti, nec excusata, nec sufficienter accusat ad censu- ram contrahendam, nisi iuxta modum &

qualitatem ignorantia ipsius censura.

Sed rogabis, quid sit crassa, & supina ig- norantia, quæ ā pœnis excusatur? Monaldus summa tit. de speciebus ignorantia, statim in principio: & Vgolinus de censuris, tabu- la 1. c. 9. §. 8. n. 6. fin. dicit crassam ignoran- tiam esse, vbi quis ob negligentia ignorat, quæ scire debet, ac potest. Sed hæc defini- tio diminuta est, nā conuenit omni igno- rantia, quæ vincibilis, ac culpabilis est. Quare negligentia qualitatem desiderat, vt ignorantiam crassam cōstituat, oportet exprimeret. Ideo dicitur esse hanc ignora- tia crassam esse, quæ ex lata culpa in adhi- benda diligentia procedit. Ita colligitur ex c. quæ situm, de pœnit. & remis. Quæ textū. n. 3. 4. sine ponderabo, & referā Do- ctōres ita illū intelligētēs. Sic docet glos. c. 2. de constit. in 6. verb. supina: vbi An- char. n. 3. Præcus. n. 9. Specular. tit. de dis- pensatione. §. iuxta. n. 41. D. Anto. 3. p. tit. 24. c. 7. fin. Angel. excomm. 7. casu vlt. n. 5. Sylu. verb. ignorantia. §. 5. Tabiena ex- comm. n. 7. n. 2. q. 1. Arias de Valderas re- peticione in c. porrd. n. 52. & 53. de sent. excommunic. Nauarra lib. 2. de restit. c. 1. dubio 6. num. 56. in noua editione.

Rursus petes, quando dicatur adesse la- ta culpa? Glossa, Anchar. Syluest. Arias de Valderas. nu. p̄ced. relati, dicunt id eue- nire, quando quis ignorat q̄ omnes scit, instar hominis crasi coram oculis propo- sita, minime in spicientis. Idem Grassi. 1. p. decisio. lib. 4. c. 9. n. 4. Sed Castro lib. 2. de lege pœnali. c. 14. col. 4. ver. ex quibus omnibus, reprobatur hanc definitionem, po- test enim contingere, vt sit ignorantia cras- sa, & supina, ignorare quod communiter ceteros latet. Vt si Episcopus nullo ex mi- ne p̄missio conferat parochiam idiotæ, quāvis illa indignitas esset occulta. Potest etiā contra accidere, nō esse ignorantiam crassam nescire quod publicū est. Vt si iu- dex adhibita sufficienti diligentia nequeat delictū in publico foro admitti cōp̄bare, omnibus veritatis cōfessis id negantibus. Quare ait definitionē illā solos aliquos ca- sus speciales explicare, in quibus ignora- tia crassa, & supina, lataq; culpa reperitur. Quāobrem optime cōcludit dicit ignorantia, crassam, & supinā, quādo ignoras aut nul- lā, aut valde modicā adhibuit diligentia, vt sciret q̄ nō se tenetur. Quomā nō omnis negligentia, sed summa est, quæ pōt igno- rantia crassam efficere: Et p̄bat ex. l. regula 9. ver. sed facti. ff. de iuris, & facti ignor.

ibi,

ibi, sed facti ignorantia ita demum cuiquā nō nocet, si non ei summa negligentia obijciatur. Idem probatur ex textu, quem nu. seq. si ponderabo, & ex Doctoribus ibi citandis. Idem docet Sotus. 4. d. 28. q. 1. ar. 2. ver. ex his primam. Et Grassi. 1. p. decisio. n. lib. 4. c. 9. n. 2. 0. vbi aiunt talem ignorantia esse, quæ vel ex malitia, vel ex nimia negli- gentia procedit. Imō Anton. c. 2. de constit. n. 9. amplius videtur petere, & explicat enim eā ignorantia esse, quādo est latissima cul- pa, quæ dolo equiparatur. Et (ni fallor) im- merito Castro carpsit glossam, & alios Do- ctōres, nam dum dicunt eam ignorantiam contingere, quando quis nō videt coram se posita, & quod omnes scit, instar cras- si hominis: non intelligunt, dum ignoran- tur publica: sed dum res est adeo aperta, faciliusq; scitu, vt modica diligentia posset à quocunq; sciri: ac subinde nulla sub sit ignorandi causa. Atq; ita nobiscū sentiūt.

Hinc deducitur minus bene aliquos sen- tire, sufficere leuem culpam ad contrahē- dam homicidii irregularitatem. Hi sunt Villadiego tra. 6. de irregul. §. vltierus di- xi, col. 6. fo. 3. 0. Sylu. homicidium. 2. q. 23. Et significat Ang. verb. irregularitas. n. 3. & 2. 0. Alij autem distinguunt sic, si culpa contingat committendo, satis est leuisi- ma: si autem omittere, desideratur leuis. Ita videtur sentire Ioan. Andr. c. quæ sit- tum. nu. 2. & ibi Abbas nu. 3. de pœnit. & remis. vbi dicunt leuisimam culpam non imputari ad irregularitatem, si absq; actu, & alia procuracione homicidii sequatur. Et tenet expressē Rosella homicidium 3. nu. 2. Armilla. verb. irregularitas nu. 6. & 12. Couarr. clem. si furiosus. 2. p. §. 4. n. 9. Maiolus lib. 5. de irregular. c. 48. §. 3. nu. 1. Vjual. cand. lab. Sacram. 2. p. tract. de irre- gular. nu. 265. & seq. Verū contra hos o- mnes dico, solam culpam latam, quæ ex ignorantia, & negligentia crassa procedit, sufficere ad irregularitatem. Probatur ex cap. quæ situm, de pœnit. & remis. vbi ro- gatus Pontifex de Græcis Sacerdotibus, qui filios in laicā opprimebant, an sint ir- regulares? sic ait: si istis procuratoribus, aut studiosis negligentibus filij reperiantur oppres- si, ab officio altaris debent perpetuo abstinere. Vbi pondero, æquiparare procurantes, & studiosē negligentem: ac minus apta esset æquiparatio, si in illa studiosa negligentia nō esset lata culpa: nec meritō dici posset interuenientē sola leui culpa, negligentia studiosa. Atq; ita de lata culpa explicant

ibi Hostiensis paulō post princip. ver. stu- diose negligentibus. Ioan. Andr. nu. 1. ff. Anton. nu. 8. Cardin. num. 2. Abbas nu. 2. qui eam subdit rationem. Quōd videatur aliquo modo delictum affectari ex tanta negligentia admittit. Quare irregulari- tatem ex delicto non incurri abique lata culpa, tradunt Nauarr. summa Hispanica. c. 27. nu. 236. Enriquez lib. 14. de irregul. c. 3. nu. 1. Nauarra lib. 2. de restit. c. 1. dub. 7. in noua editione nu. 6. 1. ver. colligo. 2. Et constat ex ijs, quæ nu. 31. probant.

Quæres forsā, qualis ignorantia excu- set, dum canon imponit pœnam facienti aliquid scienter? Glossa clem. vnica. verb. scienter, de consanguin. ait ignorantiam probabilem, id est, inuincibilem excusare. Idē P̄p̄os. c. ex parte, el. 1. de appell. col. penult. Francus. c. 2. nu. 4. de constit. in 6. Rosella 1. excōm. excōmunicat. 43. nu. 2. D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 34. statim in princ. Syluest. excommunicatio 9. casu 41. n. 76. fin. Tabiena excommunicatio 5. casu 49. n. 3. notabili 2. Subijciunt tamen, quid di- cendum sit de vincibilis, & crassa. Et Nauarr. summa Latina. c. 27. n. 7. 4. declaratio- ne 1. videtur sentire ignorantiam crassam minime excusare: ait enim in illum cano- nem minime incidere absoluentem ex ig- norantia non crassa. Quia fertur contra p̄sumptem absolueret: vnde oppositum videtur sentire, vbi ignorantia esset crassa. At latius loquutus est summa Hispanica, eo- dem num. 7. 4. dicens excusare ignorantiam non nimis crassam.

Tertia conclusio sit. Ignorantia quantū- cunq; crassa, (excipio eam de qua num. 39. dicimus) & lata culpa excusata ā pœnā im- posita, scienter aliquid facienti. Ad huius probationem, p̄mittendum est, quoties dolum exigitur, non sufficere latā culpam. Constat ex. l. sed et si lege. §. scire. ff. de pe- tit. hæred. ibi. Non p̄tō esse p̄dōnē, qui do- lo caret, quāvis in iure errauit. Nā telle Bart. l. quod Nerua. n. 7. ff. de postu. & multis al- lijs, ignorantia iuris p̄sumitur ex lata cul- pa. De qua re consulendus est Imola. c. 2. n. 14. de constit. Probatur etiā ex. l. igitur. 11. ver. & generaliter. ff. de liberali causa, ibi: Et generaliter quorises alt quis iustis ratio- nibus ductus, vel non iustis, sine calliditate r̄i, pur aut se liberū, dicendū est hunc in ea causa esse, vt sine dolo malo in libertate faciat. & l. si quis id quod ad finē. ver. doli mali. ff. de iurisd. omn. iudi. ibi. Doli mali ideo in verbis edicti sit mentio. Quia si per imperitiam, vel

insufficienti, vel casu aliquis fecerit, non tenetur. Atq; hoc fundamentum docet Gloss. l. in actionibus. ff. de in litē iurādo. verb. nō etiā. & l. plagij. l. 2. verb. iusta. C. ad l. statuta. de plagarijs. vbi & Bal. statim in principio, reddens rationem, quia qualibet ignorantia interuenienti deficit animus delinquendi. Ang. d. l. si quis id quod. §. doli. in iōio Bart. l. quod Nerua. n. 20. ff. depositi. Abbas. c. 2. de const. n. 6. & ibi Alex. de Neuo. n. 45. iuncto. n. 53. Anton. nu. 9. Immol. num. 12. Felinus. c. si verō, el. 2. de sent. excomm. n. vñj. vers. nota quod constitutio. Sylu. verb. ignorantia. q. 8. dicto. 4. Couar. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 8. nu. 21. Quauis contradicant Decius. c. 2. de const. in 1. lectura. nu. 26. & duplici sequenti, & ibi Berouus. nu. 35. Imō idem dicunt Abbas, Imol. Alex. de Neuo, Sylu. dicto. 5. quando cōstitutio tacite petit dolum: & aiunt cum Bartolo. l. 1. §. non autem, nu. 2. ff. si quis testamento liber esse iussus fuerit, tūc cōstitutionem petere dolum tacite, cum puniat actum tertio iniuriam inferentem, vt si quis furatus fuerit, alius percussit. Quia iniuria nequit abiq; dolo reperiri. l. 5. q. 1. c. 1. Ex quo fundamento sic formatur ratio ad probandam nostram conclusionem. Quando canon expresse, aut tacite petit dolum, non satis est crassa ignorantia, & lata culpa. At cum canon postulat scienter aliquid fieri, dolum manifeste petit: id enim est quod hispanē dicimus. *Haberlo a sabiendas*, facere dolose, testē Dominico. c. is qui. §. is verō, nu. 1. de sentent. excomm. in 6. eō vel maxime quod Doctores allegati asserunt canonem tacite exigere dolum: cum puniat actum aduersus alterum gestum: nam canones censuras inferentes puniunt frequentius huiusmodi actus ergo non satis est crassa ignorantia, & lata culpa. Et confirmatur, quia iuxta veriorē sententiam (vt probauimus. n. 31.) quando canon non addit, scienter, desideratur crassa ignorantia, ne ignorans excusetur. Ergo amplius requiritur, quando addit, scienter. Allās frustra addetur. Secundō, quia tunc intendit Ecclesia punire delictum expresse, & formaliter volitum, prēmisa illius notitia, quod nō contingit, vbi adest ignorantia etiā crassa. Quia tunc verō nō adest notitia illius, & solum est virtute volitum. Quod si dicas, idem esse, scire, & debere scire. I. quod te mihi. §. ff. de rebus creditis, in fine, ibi. *sed etiam si aliqua iusta causa sit, propter quā*

intelligere deberes. Dico id verum esse quoad peccatum contrahendum, scelus quoad penas. Et idē hanc conclusionem sustinent Barolus. l. si adulterium, in principio. nu. 11. ff. ad l. Iuliam, de adulterijs. Ancharr. clem. vnica, de confang. col. 3. vbi Imola num. 4. super Glossa, scienter. Bonifacius num. 15. Syluest. verb. ignorantia. quæst. 8. dict. 4. Nauarr. summa Latina, in noua editione. c. 27. nu. 141. declaratione 4. Gregor. Lopez. l. fin. verb. a sabiendas. tit. 18. p. 7. Couarr. 4. decret. 2. p. c. 6. §. 8. num. 21. & cap. alma mater. l. p. §. 10. nu. 17. vers. eadem sūnt ratione. Lud. Lopez. 2. p. instruct. c. 13. de excommunic. §. sed iam ad 2. punctum. fol. 887. Petr. de Ledesma summa Sacram. cap. 3. de excommunic. dubio vltimo, dict. 3. Enriquez lib. 13. de excomm. c. 23. num. 3. in quatuor verō addit Enriquez ibi, non excusare ignorantiam supinam. Explicabo eum. numero 39.

Quarta conclusio. Idem credo, quādo canon dicit, si quis ausus fuerit. Quia audacia temeritate importat. Gloss. l. si quis in tantā, verb. audaciam. C. vnde vi. Et sic Hispanē auidax dicitur, atreuido, y q pierde la verguença. l. 6. tit. 10. p. 2. ibi: *Díspues que los homes pierden la verguença, y toman atreuimiento*. Quare auidax cum præsumentate iungitur. l. habita. C. sine filius pro patre, ibi: *Vt nullus de cetero tam auidax inueniatur, qui aliquam scholaribus iniuriā inferre presumat*. Ita Petrus de Ledesma nu. præcedenti allegatus.

Quinta conclusio. Idem prorsus sentiendum est, cum canon penam indicit præsumenti aliquid facere, vel auge temerario facienti. Quia non verē dicitur præsumens, ignorantia culpabili, & crassa efficiens. Deinde, quia præsumere dolum importat, ac temeritatem. Cardin. clem. 1. de priuileg. q. 39. D. Anton. 3. p. tit. 2. c. 54. col. 3. vers. querit idem. Rosella abolutio 1. num. 46. Caiet. summ. verb. excommunicatio. c. 81. Angel. excommunicatio 5. casu 12. nu. 15. Syluest. excommunicatio 7. casu 14. dub. 5. nu. 34. Tabiena excommunicatio 5. casu n. q. 6. nu. 7. Nauarr. summa Latina. c. 27. nu. 155. & cap. accepta, de restit. Spoliat. oppositione 8. illatione 9. num. 32. & seqq. Emmanuel Sa sum. verb. pena. vers. pena præsumenti. Vnde Imola clem. 1. num. 1. r. de rescript. dixit, præsumere, importare vexationem, & attentionem contra ius. Cum ergo dolum requi-

ratur,

ratur, nō satis erit ignorantia crassa, & lapsa iuxta dict. num. 36. Hæc conclusio est contra Innocent. cap. cum medicinalis, sine, de sentent. excomm. vbi dicit in hoc casu probabilem ignorantiam excusare: crassam autem reddere faciliorem dispensationem. Sed illam docent Nauarr. summa Hispana. c. 27. nu. 74. Enriquez lib. 13. de excomm. c. 23. nu. 3. Petrus de Ledesma nu. 36. allegatus. Ludou. Lopez dicēs, hoc esse forte verum. 2. p. instruct. c. 13. de excomm. §. sed iam ad 2. punctum, fol. 887. Nec approbo quod ait Suarez 5. tomo in 3. p. disp. 4. sect. 10. nu. 4. vbi censet temerarium violatorem dici, si cum suspitione, vel dubitatione habeat talis legis, non adhibet aliquam diligentiam ad sciendum an lex ea sit. Quia aliās temerē se exponit transgressioni illius periculo, etsi in re illam violare contingat, dicitur temerarius violator. Sed hoc non placet. Quia quauis ad culpam mortalem contrahendam dicatur temerarius ratione periculi, cui se exponat: ita punientia temerarium violatorem, quid amplius petunt: vt probauit. Aliās omnis ignorans culpabiliter sus, tūc puniretur. Quia omnis ignorantia culpabilis iuris, vel facti supponit necessariō præcessisse aliquam dubitationem circa illa: aliās erit prorsus inuincibilis, vt latissime probauimus lib. 1. nostræ summæ. c. 16. à num. 21.

Sexta conclusio. Quando ignorantia esset adeo crassa, vt esset ingēs temeritas, non excusetur à pena canonis contra scienter facientes lata. Quia re vera illi dicentur in dolo esse. Ita Anton. c. 2. num. 9. de const. vbi ait, in canonem requirentē dolum incidere laborantem ignorantia in tantum crassa, seu crassissima, quæ importaret latissimam culpam, ac dolo æquipararetur. Et Nauarr. summa Hispana. c. 27. nu. 74. vbi loquens in quodam textu excommunicanti præsumente, ait non cōprehendi facientem ex ignorantia saltem non nimis crassa. Idem videtur tenere Enriquez lib. 13. de excomm. c. 23. nu. 3. vbi loquens casu, quo pena inferatur scienter facienti, aut ausu temerario, aut præsumenti, ait excusare ignorantiam crassam, non tamen supinam. Quod idem significat Petrus de Ledesma num. 36. in fine allegatus, dicit enim nō excusare ignorantiam, quæ talis est, vt quasi scientia reputetur. Idēq; dicendum est, quando pena imponeretur audenti, aut facere præsumenti, aut ausu

temerario facienti. Et ita loquuntur aliqui ex Doctoribus citatis, vt ex ipis retuli. Et quia omnia hæc verba doli petunt, perinde ac scienter facere. Vt probauit n. 37. & 38. Vltima conclusio. Affectata ignorantia qua, videret, ignorans eligit nescire, quōd liberius delinquit, nunquā excusatur ab his pœnis scientiam, ac præsumptionem exigentibus. Quia tantum adest, vt ignorantia hæc inuoluntariam actum efficiat, culpamq; minuat, quæ in causa sunt, vt ignorantia à pœnis extimat: quin potius voluntarium, culpamq; augeat: cum dicitur, & per se eligatur: testē D. Tho. 1. 2. q. 6. art. 4. corp. Atque ita sustinet Glossa clem. 1. verb. scienter, de confang. Francus. c. 2. num. 4. de const. in 6. D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 34. statim in principio. Rosella excommunicatio 1. casu. 43. nu. 2. Syluest. excommunicatio 9. casu 41. num. 76. in fine. Tabiena excommunicatio 5. casu 49. nu. 3. notabili 2. Grassis. 1. p. decisio num. lib. 4. cap. 9. nu. 38. Enriquez, & Petrus de Ledesma nu. præcedenti allegati. Suarez 5. tomo in 3. p. disp. 4. sect. 10. num. 1.

Ex dictis inferunt aliqui, perculforem clericum non currere excommunicationē latam. c. si quis suadente. 17. q. 4. si ignorabat etiam crassa, & lata culpa clericatum. Quia is canon dolum requirit. Cum petat suadente diabolo id fieri. Deinde, quia. c. si verō, el. 2. de sentent. excomm. excusantur ignorantia percussor clericum comam nutrientis. Ita docent Abbas cap. 2. nu. 6. de const. & ibi Alex. and. de Neuo. nu. 49. Cardin. d. c. si verō, in fine: & ibi Felinus. num. vnico. vers. nota quod constitutio. D. Anton. 3. p. tit. 24. c. 1. §. 2. Syluest. verb. ignorantia. q. 8. dict. 4. & excommunicatio 6. §. 6. notabili 4. vers. 2. Manuel 1. tomo summæ. 2. editione. c. 80. concl. 11. num. 11. fine. Sed iure optimo hoc reprobant dicentes sufficere latam culpam, & crassam ignorantiam, Decius. c. 2. de const. in 1. lectura. num. 27. & ibi Berouus nu. 32. Tabiena excommunicatio 7. q. 1. n. 2. Couarr. cap. alma mater. l. p. §. 10. num. 16. fine. Quia oppositum minime probat ea verba, suadente diabolo: non enim dolum importat: sed ne licita sit clerici percussio: vt causa correctionis. Minus etiam id probat. d. c. si verō, ignorans enim non excusatur ibi de effectu doli: sed quia culpa lata caruit, imō probabiliter, & iuste ignorat eum clericum esse, qui contra solitū clericorum morē, comam nutriat. Tā-

lis

lis enim quisque presumitur esse, qualis ex habitu iudicatur. Item apud Labeonem. §. si quis virgines. ff. de iniurijs. Præterea, quia percussor clericus tonsuratus in eo videtur, non excusatur ignorantia clericatus. Ut tradunt bene Glossa eo c. si verò, vers. igno- rauerit. & ibi Hostiensis super vers. esse cle- ricum. Anton. num. 8. D. Anton. 3. p. tit. 24. cap. 1. §. 2. vers. primus est. Angel. ex- com. communicatio 6. casu 1. num. 25. Sylu. ex- com. communicatio 6. §. 6. notabili 4. vers. 2. Na- var. cap. 27. num. 80. Quæ tamen culpa ig- norantia lata est. Intellige autem hoc cum Sylu. & D. Antonio ibidem, nisi consue- tudo esset inibi, ut laici tonsurâ deferrent. Tunc enim esset probabilis ignorantia, excu- sareteq.

42 Hinc deduco, dum Antonius, Angelus, & Sylu. nu. præcedenti allegati, dicunt viden- tem habitum clericalem in aliquo, non excusari ignorantia clericatus: esse sanè in- telligendos, vt nomine habitus non solæ vestes, sed tonsura etiam comprehendatur, aut barba tonsa. Solæ enim vestes cle- ricales non sunt sufficiens clericatus indicium. Cùm hæc hodie multis laicis commu- nes sint. Atq; ita colligitur ex limitatione D. Antonini, & Syluestri, quam num. præ- cedenti, in fine, retuli.

SYMMARIVM.

Falsi ignorantia inuincibilis, excusat ne cõ- iux arceatur à debiti petitione, in affini- tate, & cognatione. Impugnaturq; cõtraria opinio. num. 42.
Impedimentum dirimens superueniens matri- monio, an impediat debitum petere? eodem. num. 43.
Circum ignorantiam culpabilem iuris, & facti, re- fertur triplex sententia. n. 44. 45. 46.
Ignorantia facti crassa, modo non sit ingens ve- meritas, nec sit affectata, excusat ne coniugi interdicitur petio debiti, in affinitate, & in cognatione nu. 47. & ibi soluantur argu- menta.
Idem, quando scitur consanguinitas, at ignora- tur eam esse intra secundam gradum. nu. 48.
Similiter in verisq; impedimento excusat igno- rantia similis, iuris humani prohibitionis. 49.
Quid, si ius scelatur, at pena priuationis debiti ignoretur? num. 50.

43 **Q**uestio vltima. An ignorantia facti, vel iuris, vel pœnæ ipsius, excuset coniugem, qui cum suo coniuge affinitatè,

aut cognationem contraxit, ne ipsi interdicitur debiti petitione? Exemplum sit in iuris ignorantia, vt si nesciebat coniux spæcialiter vetitum esse acceffum cum alterius coniugis consanguineis: vel baptizare, aut tenere filium communem, alterius ve coniugis, aut ipsum coniugem. De ignorantia solius facti sit exemplum. Si coniux illud ius sciebat, at ignorabat consanguinitatis gradum semina, aut viri, cum quibus fuit habita copula: vel esse filium alterius coniugis, aut communem, illum quem tenuit, aut baptizauit. Exemplum de ignorantia solius pœnæ. Quando & prohibitionem, & consanguinitatem nouit, at ignorauit esse delictum illi indictam penam priuationis petitionis debiti. Et quidem quando adest inuincibilis ignorantia facti, constat non interdici debiti petitionem coniugi, qui affinitatem, cognationem ve cum suo coniuge contraxit. Quia interdicitio illa est pena culpæ admittit in contrahenda ea affinitate, aut cognatione. & in admissio incestu (vt diximus hoc 9. lib. disp. 30. num. 1. & disp. 27. num. 14.) At vbi est inuincibilis ignorantia facti cessat culpa illa, nec est incestus. Cessabit ergo pena. Præterea, in affinitate probatur, ex cap. 1. de eo, qui cog- non. consang. ibi. *Si quis cõ plura sua scilicet fornicatus fuerit: nec à matre debetum petere, nec filiam vnquam habere potest uxorem.* Vbi expressè petitur scientia ad incurren- dam priuatione debiti petendi. Et in cog- natione probatur, ex cap. si vir, de cognat. spirituali ibi, *si ex ignorantia id factum est, eos ignorantia excusare videtur.* Atq; ita docent diuersi Doctores citandi num. 44. 45. & 47. Quare non est audiendus Ouandus 4. d. 41. q. vnica, propositione 9. vbi ait esse probabile, interdici petitione debiti coniugi, qui ignorans inuincibiliter cognouit alterius coniugis consanguineam. Duci- tur, quia impedimentum dirimens matri- monium contrahendum, quando iam cõ- trado superuenit, impedit debiti petiti- onem. vt testantur Sylu. matrimonium 8. q. 7. dicto 2. Viualdus candelacro Sacram. 1. p. de matrim. num. 149. Philiacus de offi- cio Sacerdotis, tomo 1. p. 2. lib. 2. cap. 11. At si copula illa ex qua oritur affinitas, aut actus ex quo producit cognatio spiritua- lis, præcederent matrimonium, illud diri- merent, quantum ad fuerit ignorantia inuincibilis. Ergo si subsequantur, impediunt debiti petitionem. Sed dicendum est, id nõ esse probabile, sed apertè falsum. Quia

& tex-

& textibus, & rationi, communiq; omniũ sententia adheratur. Et fundamentũ cui innititur, est apertè falsum. si vniversaliter intelligatur. Quoniam affinitas contracta per copulam omninõ violentam, & cognatio baptizando filium communem in necessitate, si matrimonium antecederent, id irritarentur eum subsequantur. Non im- pediant debiti exactionem. Vt constat ex cap. discretionem, de eo, qui cogn. consan. & c. ad limina 30. q. 1. & diximus disp. 26. num. 2. & disp. præcedenti nu. 1. Quare ea doctrina est vera, quando id impedimentũ propria culpa contrahitur. Affinitas autem in casu presentis contrahitur absq; culpa. Quia licet copula illa fuerit peccatum le- thale, at non oritur ex illa, nisi in quantum culpam incestus continet. Quæ cessat vbi adest ignorantia inuincibilis facti.

44 **D**ifficultas autem est de ignorantia vin- cibilis facti: & de inuincibili iuris, aut pœ- næ. Et loquendo de ignorantia culpabilis, seu vincibilis facti: quidam existimant eam non excusare, quin arceatur cõiux à debiti petitione. Ducuntur, quia c. si vir, de cog- natione spirit. loquens de illa ignoranter contracta, ait ignorantiam excusare. Igno- rantia autem, quæ excusat, est sola inuinci- bilis, & inculpabilis. Et confirmatur, quia cap. discretionem, & cap. penultimo, de eo qui cognouit consang. dicitur coniugi, qui in cõtrahenda affinitate fuit expertus culpæ, reddendum esse debitum. Et redditur ibi ratio, ne absq; culpa suo iure priuetur. Ergo à contrario sensu coniux, qui fuit in cul- pa, illo priuatur: vbi autem adest ignorantia culpabilis, non desideratur culpa. Atq; ita sentiunt loquentes de affinitate. Abu- lensis cap. 5. Matth. q. 200. Petrus de Ledes- ma de matrim. q. 5. art. 6. diffie. 5. initio. 5. in huius rei expositionem. Et clarè viden- tur tenere Sotus 4. d. 37. q. vnica, art. 2. vers. debet autem pena. Corduba in questione- rio, lib. 1. q. 12. paulò post principium, vers. dictum est quod scienter. Gutierrez lib. 1. q. canon. cap. 23. num. 9. Ouandus 4. d. 41. q. vnica, propositione 9. agentes enim de affinitate ignoranter contracta, dicunt excusari coniugem, quando ignorantia est inuincibilis. Vnde quantum de vincibili, & culpabili. Atq; idem sentiunt loquentes de cognatione, Gloss. d. cap. vir, verb. igno- rantia. Anton. ibi num. 5. Sotus 4. d. 42. q. 1. art. 1. concl. 3. Ledesma 2. p. 4. q. 58. art. 2. fine. Enriquez lib. 3. de cõfirmatione cap.

3. fine. Manuel 1. tomo summæ 2. editione cap. 243. num. 10. Bartholomeus à Ledes- ma de matrim. dubio 44. §. de vsu verò. Pe- trus à Ledesma de matrim. q. 56. art. 1. du- bio 4. Idè apertè sentiunt alij, qui loquen- tes de eadem cognatione, dicunt excusare ignorantiam inuincibilem. Sic Palud. 4. d. 42. q. 1. art. 1. concl. 7. num. 15. vbi Supple- mentum Gabrielis q. 1. art. 2. concl. 4. præ- positus cap. si vir, nu. 4. de cogn. spirit. Sotus 4. d. 4. q. vnica, art. 5. fine. Brunellus de sponsalibus, concl. 20. num. 13. Enriquez lib. 11. de matrim. c. 15. num. 11. Idem etiam sentire videntur alij, qui de eadem cog- natione agentes, dicunt excusari coniugem ignorantem, si diligentiam adhibuit. Hi sunt D. Thom. 4. d. 42. q. 1. art. 1. corp. vbi D. Bonau. art. 1. q. 2. n. 8. Turcere 30. q. 1. in principio num. 14. Sylu. matrimonium 8. q. 7. dict. 1. Armilla verb. matrimonium num. 9. Tabiena verb. impedimento im- pedimento 5. num. 1.

45 **A**lij loquentes de eadem facti ignora- tia, dicunt eam excusare, nisi etiam sit, aut supina: atq; ita admittunt videntur aliam culpabilem ignorantiam excusantem. Sic videntur sentire Hostiensis cap. si vir, de cog- nat. spiritu, num. 3. super verb. excusare: & ibi Henricus num. 2. vbi dicitur ignorantiam rationabilem semper excusare, non autem crassam, & supinam. Et tenet expref- sè Guillelmus Vorri long. 4. d. 42. q. vnica, art. 2. vers. est notandum.

46 **D**e ignorantia etiam iuris sentiunt quidam Doctores, eam minimè suffragari cõ- iugi, quin incurrat dictam penam. Ita in affinitate sentiunt, Corduba in quoestio- nario, lib. 1. q. 12. art. 1. vers. ex quo sequi- tur. Manuel 1. tomo summæ 2. editione cap. 243. nu. 1. & nititur verq; huic fun- damento, nempe, quia copula illa ob quam affinitas contrahitur, est iure naturalis, ac diuino verita, ac proinde incurritur pena iure humano illi annexa, non obfati huius iuris ignorantia. Iuxta illam opinionem, quam retulimus num. 7. & num. 16. Einst- dem sententia videntur esse Adulens c. 5. Matth. q. 200. Gutierrez q. canonicis, lib. 1. cap. 23. num. 9. dicunt enim in affinitate excusare ignorantiam facti. Atq; Sotus 4. d. 37. q. vnica, art. 2. vers. debet autem pena. Victoria summa, de matrimonio num. 288. Ouandus 4. d. 41. q. vnica, propositio- ne 9. Graffis 1. p. decisionum, lib. 2. c. 81. num. 4. qui loquentes de ignorantia excu- sante in affinitate, exemplificant in facti

ignorantia:

ignorantia: atque ita supponere videntur ignorantiam iuris non excusare. Et in cognitione spirituali, videtur eiusdem sententia. Anchar. capit. si vir, numer. 4. de cognat. spirit. nam illum textum decidendum ignorantiam excusare, explicat de facti ignorantia. Atque in eadem sententia videntur esse. Hostien. ibi. num. 1. super verb. ex ignorantia, & ibi Ioan. Andr. num. 4. Abbas numer. 5. Alexand. de Neuo, numer. 7. Prepositus, numer. 4. Henricus, numer. 1. sine. Sorus. 4. dist. 42. quæst. 1. artic. 1. conclus. 3. & d. 4. quæst. vnica, art. 5. fin. Gui. Helms. Vorrillong. 4. d. 42. quæst. vnica, art. 2. versic. est notandum. Viguierus lib. insit. capit. 16. §. 7. versic. 9. Nam omnes hi explicantes ignorantiam excusantem in cognitione spirituali, explicantem in facti ignorantia.

47 His tamen non obstantibus, sit prima conclusio. Ignorantia facti, qualiscunque sit, & quantumcunque crassa, modo non sit adeo crassa, vt sit ingens temeritas ignorare, vel non sit affectata, excusat coniugem qui affinitatem, aut cognationem spirituales cum suo coniuge contraxit, hinc debiti petitione priuetur. Hæc est contra Doctores, numero. 44. relatos, & probatur. Quia priuatio hæc petendi debitum, est pœna culpa (vt probauit disp. 30. num. 1.) vbi autem ius imponit pœnam scienter aliquid facienti, excusat ab ea, ignorantia quæcumque non affectata, & quæ non est adeo crassa, vt sit ingens temeritas (vt probauit hac disput. nu. 36. 39. & 40.) cum ergo ius indicat pœnam hanc coniugi scienter contrahenti eam affinitatem, aut cognationem, excusabit talis ignorantia. Quod autem scienter facienti imponat: constat in affinitate, ex c. 1. de eo qui cognouit. confang. cuius verba retuli, nu. 43. ibi, *Si quis cum filia sua scienter fornicatus fuerit.* In cognatione etiam probatur, ex cap. si vir, de cognat. spirit. ibi, *Sine ex ignorantia, sine ex malitia.* Vbi ignorantia excusans contraponitur malitia, quod denoteretur malitiam, seu scientiam desiderari ad pœnam priuationis debiti ibi statutam, incurrendam. Et confirmatur, quia non est credendum Pontifici magis punire velle culpam contractam cognationis, vbi legem minor est culpa, & solius positiuo, aduersa, parumque matrimonium ipsum offendens: quam culpam multo grauiorem, aduersus ius diuinum, & naturale, & grauius matrimonium offendentem, quæ in

contracta affinitate admittitur. Si ergo ad incurrendam eam pœnam in affinitate, desideratur scienter admitti delictum, à fortiori in cognatione: ed vel maximè quod in illa, certa est pœna: in hac autem est valde dubia, vt constat ex dictis disp. 26. Pro hac conclusione est apertè Enriquez lib. 11. de matr. c. 15. n. 1. vbi loquens de affinitate, dicit eam pœnam imponi incestui formaliter, & voluntario. Non enim talis appareret, vbi procedit ex ignorantia etiam culpabili, sed erit incestus virtute, ac interpretatiue volutus. Nec obstant argumenta numero. 44. opposita, quia ad cap. si vir, facilis est solutio. Non enim ibi agitur de ignorantia à culpa excusante, quæ sola est iniunctibilis: sed de ea, quæ à pœna iure statuta eximit; qualis non sola est iniunctibilis, & inculpabilis, vt constat ex dictis, numero. 31. & sequentibus. Ad confirmationem dicæ, bene colligi argumentum à contrario sensu, vt coniux qui fuit in culpa, eo iure priuetur. Qualis autem debeat esse ea culpa, is textus non exprimit, sed supponit ex alio textu colligendam, videlicet, ex cap. 1. eodem, tit. vbi petitur culpa ex certa scientia procedens. Quod si velis corrigi hunc textum per illud argumentum à contrario sensu ex alijs textibus deductum: falleris vitæ. Quia argumentum à contrario sensu nil valet, vbi iuris alicuius correctio inducitur, vt probauit lib. 6. disp. 21. n. 9.

48 Idem dicendum est, quando non penitus ignoratur factum, sed quatenus ex eo oritur hæc pœna, verbi gratia, coniux accessit ad consanguineam sui coniugis in secundo gradu, ignarus talis consanguinitatis, exilimansque esse in tertio gradu, v.g. prima secunda, vel baptizauit filium alterius coniugis, credens non esse filium, sed consobrinum, aut alio consanguinitatis gradu coniunctum: tunc non arcebitur à debiti petitione, perinde ac si consanguinitatem ignorasset: nisi esset ingens temeritas ignorare, aut esset ignorantia affectata: iuxta dicta, nu. precedenti. Quia perinde est ignorare consanguinitatem, ac ignorare eius gradum cui hæc pœna statuitur. In utroque enim euentu verè ignoratur factum tali pœna puniunt. Nec refert si coniux ex conscientia erronea putaret sibi interdicti debiti petitionem, accedendo ad consanguineam coniugis in eo tertio gradu, baptizando ve coniugis consobrinum. Nã adhuc perseverat ignorantia facti, cui illa respõdet pœna, & nõ

conscientiæ erroneæ. Sicut excommunicationem minimè incurreret percussor clerici, exilimans iniunctibiliter eum laicum esse: quantum error non crederet laici percussorem excommunicationis vinculo innodari.

49 Secunda conclusio. Ignorantia iuris statutis hanc pœnam priuationis debiti, eximit ab ea coniugem, qui facti minimè ignarus, nempe, consanguinitatis, contractæ affinitatem, aut cognationem. Itaque si ignorauit baptismum illum, aut copulam esse specialiter iure positiuo prohibitam, immunis erit à pœna. Hæc est aduersus Doctores allegatos numero. 46. Et probatur in cognatione spirituali. Quia vbi lex, aut Canon punit delictum nullo alio iure prohibito, ignarus legis, aut canonis, sicut excusatur à culpa transgressio nis, ita & à pœna (vt ex omnium mente diximus nu. 6.) à baptizare, aut tenere proprium virgus; coniugis, aut alterutrius filium, vnde cognatio spiritualis oritur, solo iure humano interdictum est. Atque ita in cognatione excusare ignorantiam iuris, affirmauit Palud. 4. d. 42. q. 1. art. 1. concl. 7. num. 15. Supplementum Gabrielis ibi. q. 1. art. 2. concl. 4. Quandus. q. vnica, propositio 9. Rosella verb. impedimento, impedimento 6. num. 6. Sylu. matrimonium 8. q. 7. dicto 2. Nauar. summa cap. 16. num. 34. Suarez 3. p. de baptismo. q. 67. art. 8. §. maius verò dubium est de patre baptizante. Philarcus de officio Sacerdotis, tomo 1. p. 2. lib. 2. cap. 11. ad finem. Manuel 1. tomo summa 2. editione cap. 243. num. 10. Grassi 1. p. decisionum, lib. 2. cap. 83. sine. Ludouicus Lopez 1. p. instructorij cap. 85. §. præterea si cõiux. Præterea, in affinitate probatur. Quia etiam vbi delictum est iure naturali vetitum, ignorantia prohibitionis iuris humani indidentis pœnam, ab ea eximit (vt num. 17. probauimus.) Deinde, quia quantum copula illa, vt fornicaria, sit iure naturali vetita, at quatenus eam sui coniugis consanguinea, & proinde incestuosa, solo iure positiuo Ecclesiastico interdi

cta est, quod affinitatem inde oriri constituit, ac proinde eo secluso, nulla alia culpa esset in eo accessu, præter illam quæ reperitur in accessu ad aliam nõ consanguineam. At pœna priuationis debiti solo incestu ex quo affinitas oritur, statuta est (vt probauimus disp. 27. nu. 14.) Ergo qui per ignorantiam excusatur ab ea incestus circumstantia, excusabitur subinde à pœna. Sicut si quis voto altricis ieiunandi sextis ferijs, ignorans aliquid ius Pontifici quod fortè pœnam indiceret non ieiunantibus quadam sexta feria, non ieiunaret illa die, euauderet pœnam. Quia ea imposita non est ob sacrilegium voti fracti contra ius naturæ, cuius iste reus fuit: sed ob inobedientiam Pontificij decreti, à qua ratione ignorantia excusatur est. Et confirmatur, quia excusatus per ignorantiam à specie culpæ inferentis pœnam priuationis petendi debitum, eximitur à pœna, vt bene docet Enriquez lib. 3. de confirmationis sacramento c. 3. fin. in commento, litera S. & lib. 2. de baptismo. c. 18. fin. & lib. 11. de matrim. c. 15. nu. 11. Hic autem excusatur à propria incestus specie, ratione ignorantie iuris humani, ex cuius sola prohibitionem confurgit eam copulam, incestum esse. Excusabitur ergo à pœna priuationis debiti petendi, imposita propter speciem incestus. Existimo autem eandem ignorantiam iuris hunc excusare, quam cum est facti, diximus nu. 47. sufficere ad excusandum. Quia textus petit scienter id fieri, & cū pœnales sint, restringendi sunt, vt petant tam facti, quam iuris scientiam, alterius enim ignorantia concurrenti, non verè contrahitur scienter illi canonis. Et quia nu. 36. vtramque ignorantiam tunc excusare, probauit.

50 Vltima conclusio. Si ad sit scientia iuris, & facti, solaque ignorantia pœnæ huius illo iure statuta, si amplectamur sententiam. n. 20. relata, dicendum est eam excusare ab hac pœna, quæ rigida, & extraordinaria est. At reuera nostra n. 21. explicata, dico minimè excusare, vt ibi probauimus.

DISPUT. TRIGESIMATERTIA.

Vtrum votum castitatis, religionis, aut non ineundi matrimonij, ab altero, aut ab utroque coniuge ante matrimonium emissum, reddat illicitam debiti petitionem? & quid de redditione.